

## LIBER TERTIUS.

### DE JUDICIIS.

---

Postremus Canoniarum Institutionum Liber est de Judiciis Ecclesiasticis sive civilibus, sive criminalibus: Judicia namque omnia aut judicandarum litium, aut criminum puniendorum causa reperta sunt. At vero in causis cognoscendis definiendisque, et in criminibus coercendis omne studium atque opera in eo ponenda est, ut administratio justitiae, quae Ecclesiasticae et Civilis Societatis firmissimum praesidium est, religiose accurateque exerceatur. Hinc Ecclesiasticae et Civiles Leges, et ipsum naturae jus quasdam praescriptiones sanxerunt, quae ita in singulis judiciorum partibus servandae omnino sunt, ut quidquid contra judicatum fuerit, tum injustum, tum irritum censeatur. Has igitur praescriptiones quas in Jure canonico promptas compertasque habemus, in usum utilitatemque eorum, qui Judices futuri sunt, in medium proferemus.

Putamus vero rem gratam Adolescentibus facturos, si de Judiciis agentes aliquid etiam addamus de praecipuis delictis et poenis Ecclesiasticis, quae tria secundus et quintus Decretalium Libri complectuntur; sunt enim et natura, et utilitate, et tractatione inter se maxime conjuncta. Itaque primum de Judiciis, postea de Delictis, denique de Poenis disseremus.

## CAPUT I.

## DE JUDICIIS GENERATIM.

## § 199.

## DE NATURA JUDICII.

Judicium definiri solet *legitima causae inter Actorem et Reum controversae per judicem facta discussio et definitio*. Judicium itaque tribus personis constat, videlicet Actore, Reo, et Judice. Actor est, qui juris experiundi causa aliquem in judicium vocat: Reus est, qui in judicium vocatur; Judex autem est, qui utrique parti jus dicit. At vero Judices alii ordinarii sunt, alii delegati; exstatque in Decretalibus duplex titulus, alter de officio Judicis delegati, alter de officio Judicis ordinarii, de quibus singillatim dicendum est.

## § 200.

## DE JUDICE ORDINARIO.

« De Jure Canonico, » ait Van-Espen Juris Univers. p. 3 tit. 5, « Judices ordinarii dicuntur, qui jurisdictionem non ex speciali aliqua delegatione seu commissione, sed vi suae dignitatis sive officii accipiunt. Unde Judex Ordinarius a Canonistis definiri solet qui jurisdictionem habet, quam jure suo seu jure ecclesiasticae suae Praelaturae vel Magistratus quo fungitur, exercet. » Igitur Judices Ordinarii sunt Episcopi, et Praelati inferiores vere et proprie *nullius* dicti, qui ratione officii et dignitatis in suam Dioecesim jurisdictionem habent et Ordinariorum nomine venire solent, inter quos eminent Romanus Pontifex « utpote quod omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat iudicare judicio, »

sicuti ad Episcopos Dardaniae scripsit Gelasius Papa Ep. 13. Judicibus Ordinariis accensentur Vicarii Generales Episcoporum vel quatenus jure officii per legem seu Canonem probati exercent jurisdictionem, vel quatenus ordinariam Episcoporum jurisdictionem administrant ipsammet Episcopi personam sustinentes. Ob eandem rationem Apostolicae Sedis Legati, quod vices ipsius Pontificis gerunt, inter Judices ordinarios recensentur. Jurisdictio ordinaria quum dignitati vel officio adhaereat, ideo fit ut cum ipsa dignitate vel officio simul obtineatur, nec amittatur nisi dignitas vel officium renuntietur, aut ex justa causa et legitimis modis adimatur. Hujus autem jurisdictionis triplex praecipua dos est: 1. quod videlicet jure et nomine proprio exerceatur; 2. quod alteri personae, quae huic muneri idonea sit, delegari potest; 3. quod in totum suum territorium et in omnes ejusdem territorii personas explicatur: « ita quod qui se dicit exemptum, habeat hoc probare, » ut loquitur Glossa in cap. 7 de Offic. Ordinar. in 6. « Ex quo concluditur, » ait Van-Espen cit. loc., « quod nullus praeter Episcopum possit in Dioecesi uti jurisdictione, nisi eam legitimo titulo competere docuerit; dein hinc concludunt Canonistae, quod jurisdictio inferioribus concessa semper intelligatur duntaxat concessa cumulative, non autem privative cum exclusione Episcopi, nisi clare et plene probetur. »

## § 201.

## DE JUDICE DELEGATO.

Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur, eo quod jurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, sed ejus, qui delegavit, munere et vice fungitur. Sunt tamen delegati vel generales vel particulares, quatenus vel unam tantum, aut plures, sed speciales et determinatas causas, vel ad universalitatem causarum, ex. gr. ad totum causarum ma-

rimonialium genus delegati sunt. Utraque delegatio, si fit intuitu personae, personalis audit; si dignitatis intuitu, realis nuncupatur. Personalis autem esse censetur, si nomen delegati exprimatur, aut si in formula delegationis dicatur: *Te personaliter delegamus, etc., confidentes de tua circumspicione et industria, etc.* Realis censetur, si sub expressis nominibus locorum aut dignitatis, et non personarum deferatur, uti *Episcopo Imolensi*; aut si nomen quidem personae exprimatur, illud tamen nomini et dignitati loci postponatur, uti *Episcopo Imolensi N. N.* Potestas Judicis delegati generatim a natura causae delegatae, et a Rescripto delegationis aestimanda est; unde delegatus ante omnia mandatum delegationis exhibere debet, ejusque fines omnino observare: hoc ipso tamen non vetatur de connexis cognoscere, aliaque peragere sine quibus delegatio ad exitum perducitur nequit. At vero Judices delegati munus suum alteri subdelegare non possunt, nisi aut ad universitatem causarum delegati sint, quibus rite praesumitur concessa potestas alterum ad unam aut alteram causam subdelegandi, aut nisi a Summo Pontifice constituti sint, qui sibi delegatam jurisdictionem sive in totum, sive in partem alteri subdelegare possunt: habentur enim veluti Ordinarii, quin in causa delegata ordinariis majores censentur. Verum delegatus ad universitatem causarum, tum etiam Summi Pontificis Delegatus rite subdelegant, nisi eis injunctum sit, ut personaliter negotium exsequantur, aut nisi personae industria electa fuerit, cap. ult. de Offic. Deleg.

Judices a Summo Pontifice delegati ultra duas diaetas (diaeta autem seu iter unius diei, ex L. 3 ff. de V. S., viginti milliaria continet) extra Dioeceses litigantium constitui non possunt. Cum enim Innocentius III experientia didicisset, quod « nonnulli gratia Sedis Apostolicae abutentes litteras ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus fatigatus laboribus et expensis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur, in Concilio Lateranensi statuit,

ne quis ultra duas diaetas extra suam Dioecesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratae, » ut habetur in cap. NONNULLI 28 de Rescript. Deinceps Bonifacius VIII in cap. STATUTUM de Rescript. in 6 evocationem extra propriam Dioecesim ad unam diaetam contraxit, et huic quidem restrictioni tum in prima, tum in secunda, et ulteriori instantia locus est. Praeterea ne Delegationes Apostolicae vilescerent, idem Pontifex sancivit, ut nullis nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, aut Canonicis Ecclesiarum Cathedralium delegationes causarum a Sede Apostolica ejusve Legatis committerentur, easdemque causas non alibi audiri mandavit quam in Civitatibus aut Locis insignibus, ubi possit commode peritorum copia haberi. Denique Tridentina Synodus ut personae praeditae qualitatibus per Bonifacium expressis facile perspicerentur, sess. 25 cap. 10 constituit, ut in Synodo Provinciali aut dioecesana quatuor saltem personae eis qualitatibus instructae eligerentur, et earum nomina post designationem factam ad Sedem Apostolicam transmitterentur. Atque hi sunt judices sic dicti Synodales, quod videlicet in Synodis designantur. Si plures a Pontifice delegentur, nulla adjecta clausula qua mandatum explicetur, conjunctim dati censentur, et unus sine altero procedere nequit, nisi unus alteri causam subdelegaverit, cap. 6 et 16 de Offic. Jud. Ordin.: sed si plures in solidum delegati sint, videlicet cum clausula ut omnes, aut duo, aut unus sine altero procedat, tunc datur locus praevencioni, quatenus omnes, aut duo, vel unus sine altero ad beneplacitum partis impetrantis possunt judicare. Si denique delegatio facta sit, adjecta clausula conditionali « quod nempe si non omnes interesse velint, aut possint, reliqui in negotio procedant; » rescripsit Pontifex: « alios rite procedere, postquam constiterit alios adesse non posse aut nolle, » cap. 21 eod. At praeter hujusmodi delegationes dantur etiam generales delegationes Pontificiae, vel Concilio-

rum Generalium, cujusmodi sunt quae in multis casibus ex Decretis Tridentinae Synodi *Episcopis tanquam Apostolicae Sedis delegatis* commissae sunt. In his casibus appellationes ad Summum Pontificem deferuntur, et Vicarii Generales vi generalis mandati non procedunt, et demum vacante Sede haec delegata jurisdictio ad Capitulum non devolvitur.

Delegati officium varia ratione expirat; namque finitur: 1. Morte delegantis re adhuc integra, hoc est ante litis contestationem vel citationem; nam ex communi sententia Doctorum in cap. 19 et 20 de Offic. Jud. Deleg., non solum contestatione, sed etiam citatione delegatorum jurisdictio perpetua evadit. 2. Morte delegati, nisi delegatio sit realis, seu intuitu dignitatis, non personae facta: tunc enim transit ad Successorem, quum dignitas non moriatur. 3. Revocatione mandati, sive res integra sive non integra sit, cap. 24 de Rescript. et L. 58 ff. de Judiciis, ubi Jurisconsultus ait: «judicium solvitur vetante eo qui judicare jusserat.» 4. Lapsu temporis ad causam finiendam praestituti, nisi communi partium consensu prorogetur. 5. Denique prolatione sententiae, vel executione; nam si judex ab Ordinariis, puta ab Episcopo, delegatus sit, sententiae prolatione delegatio desinit, cum Ordinarius debeat sententiam exsequi, cap. Si quis de Foro compet., at si Judex delegatus a Pontifice datus sit, ejus potestas non per sententiae prolationem, sed per executionem finitur.

## § 202.

## DE QUALITATE ET OFFICIO JUDICIS.

Restat ut paucis complectamur, quaenam personae in Judicem constitui possint, quidve Judex praestare debeat, ut munere suo rite recteque fungatur. Jam vero Judices esse nequeunt qui vel natura, vel lege prohibentur. Igitur agendo officio Judicis impares natura sunt surdi, muti, furiosi, men-

teapti, impuberes, atque etiam viginti annis minores; quamvis ex partium consensu eligi Judex possit, qui decimum octavum annum jam compleverit, cap. 41 de Offic. et pot. Jud. deleg. His adde illitteratos; jus enim ad Canonum et legum normam dicendum est. Jure autem a Judicis officio arcentur infames omnes, uti sunt haeretici, schismatici, excommunicati, perjuri, et demum omnes, qui ob crimen aliquod publica infamia notati sunt. Servi quoque ratione conditionis, et foeminae ratione sexus munus Judicis exercere vetantur; si tamen Reginas excipias, quae ob eminentem dignitatem in Regnis suis, ubi consuetudo invaluit, potestatem Judicariam exercent: quin et Abbatissae aliquae sive ex consuetudine, sive ex privilegio tum in suas Sanctimoniales, tum etiam in Clericos jurisdictionem explicant, eosque ab officio et beneficio suspendere possunt, cap. 12 de Major. et Obed.; quae quidem non est propriae dicta suspensio, sed praeceptum seu prohibitio ne celebrent, et muneris sui actus exerceant: unde in cit. cap. 12 de Maj. et Ob. Pontifex non rescribit debere servari censuram ab Abbatissa latam, sed praeceptum ejus atque mandatum.

Judex autem legum minister et custos est, non arbiter: «cum enim fuerint leges institutae et firmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas,» ut loquitur Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 31. Et in cap. 1 de Constitutionibus sic habetur: «Nemo in judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed Canonum auctoritate ducatur.» Itaque Judex, ubi lex perspicua est, etsi aliquando asperior videatur, secundum ipsam pronuntiare debet. Ubi vero casus in lege expressus non est, et interpretatio locum habet, aequitas rigori praeferenda est; quo sensu accipitur Lex 90 ff. de R. J.: «In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est;» et L. 8 cod. de Judiciis: «Placuit in omnibus rebus praecipuam esse justitiae aequitatisque, quam stricti juris rationem.» Quod si utrinque causa aequae probabili-

bus argumentis et rationibus innitatur, in causa civili favendum est reo vel possessori, quando quidem tritae sunt regulae juris : actore non probante reus absolvitur, et in dubiis melior est conditio possidentis ; nec licet Judici gratioso esse, et personam acceptare, unde merito Alexander VII damnavit hanc propositionem ; « quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio. » At vero si Judici constet alteram partem potioribus argumentis fulciri, ejus favore sententiam proferat necesse est, quod in judiciis ea causa vincere debet, quae aequitati et juri conformior est ; quamobrem laudatus Pontifex hanc etiam propositionem damnavit : « probabiliter judico judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem. » Verum in causis criminalibus semper est favendum reo, etiamsi adversus eum validiora momenta sint : quippe in criminalibus ad poenam infligendam non probabiles, aut probabiliores, sed praecipuae et certae probationes postulantur, quia praestat reum absolvere, quam innocentem condemnare. Praeterea Judici cavendum est, ne ex juris imperitia vel parum accurate perpensa aut indicta causa, neve ex amore, odio, vel amicitia ad judicandum procedat, atque a muneribus etiam sponte oblatis abstinere omnino debet, « quae, » ut legimus Exod. 23 v. 8, « etiam excaecant prudentes, et subvertunt verba justorum. »

## § 203.

## DE ARBITRIS.

Loco Judicum per Arbitros lites finiri consueverunt. De his itaque nonnulla addenda sunt. Arbitrorum nomine veniunt Judices extraordinarii ad cognoscendas et decidendas lites litigantium voluntate electi. Duo sunt Arbitrorum genera : vel enim sine ullo judiciario ordine ex aequo et bono

lites et negotia tractant, suoque consilio et auctoritate litigantes componere student, et vulgo arbitratores et amicales compositores dicuntur, eorumque sententia arbitramentum appellatur ; vel causam cognoscunt juris ordine servato, nempe praemissa citatione, examine testium et instrumentorum, aliisque saltem substantialibus solemnitatibus judiciorum adhibitis, et arbitri proprie dicti nominantur. Ex his autem alii sunt arbitri, quos ipsi litigantes eligunt jubente nemine, et alii sunt qui a partibus eliguntur, lege vel statuto jubente, unde priores *voluntarii* audiunt, posteriores *necessarii*. Arbitri voluntarii nullam habent jurisdictionem publicam, sed eligentium arbitrio et conventionem munus judicandi accipiunt, et ipsorum sententia arbitrium seu laudum nuncupatur. Arbitri necessarii non solo partium consensu, sed ab ipsa lege vel statuto jurisdictionem accipiunt, quamobrem veri Judices sunt, eorumque sententia transit in rem judicatam, ab eaque appellatur. Sic Jure Canonico ex cap. 39 de Offic. et Potest. Deleg. Arbitri constituendi sunt, cum datus Judex suspectus est : itemque ex cap. 14 de Rescript. eligendi sunt Arbitri, cum Judices super revocatione litterarum Apostolicarum inter se non consentiunt ; et Jure municipali quarundam regionum lites inter certo cognationis gradu conjunctos ab Arbitris judicandae sunt.

Arbitri voluntarii, de quibus potissimum sermo est, quocumque modo a partibus electi nullam proprie dictam jurisdictionem habent, quia privatorum voluntas veros Judices constituere haud valet. Quapropter omnis eorum potestas ex compromisso pendet, deque iis tantum arbitrium ferre possunt, quae in compromisso expressa fuerunt, nisi forte aliqua causa emergat adeo causae principali connexa, ut nisi una decidatur, de altera recte cognosci nequeat. Porro litigantes possunt causam Arbitri judicio subicere vel nudo pacto, aut etiam adjecta poena, qua arbitrio parere obstringantur. Veteri Jure Romano, si compromissum nudo pacto sine stipula-

tione, vel poenae adjectione initum esset, nec actio, nec exceptio dabatur: si autem stipulatio et poena adjecta esset, actio ex stipulatu ad poenam dabatur; si demum stipulatio, non autem poena adjecta esset, actio *in incertum* dabatur, videlicet ad id quod intererat. At Jure Canonico quodvis compromissum etiam nudo pacto initum actionem et exceptionem parit, quum Jure Decretalium ex pactis nudis actio proficiscatur. Verumtamen si compromisso in Arbitris facto poena adjecta sit, pars vel arbitrio stare, vel poenam solvere cogitur, non enim ad utrumque tenetur, nisi poena adjecta sit cum clausula « firmo remanente compromisso. »

Potiores autem effectus prolati Arbitrii duo sunt: prior est, quod finis imponitur causae, unde litigantes arbitrio stare coguntur, nec auxilium appellationis tribuitur. Verum si arbitrium valde enormem laesionem et manifestam iniquitatem contineat, usu fori receptum est, ut sententia Arbitri ad arbitrium boni viri a Jure ordinario redigatur: censentur enim partes in arbitratorem non consensisse, nisi quod sperarent eum recte arbitraturum. Alter effectus est, quod arbitrio pendente jurisdictio Ordinarii Judicis suspendatur, ita ut eadem causa nequeat amplius ad ejus tribunal deferri altera parte invita.

Generatim autem quilibet in arbitros compromittere possunt, qui contrahere possunt, et liberam suarum rerum administrationem habent, easque alienandi facultatem. Quapropter vetantur compromittere pupilli et minores sine Tutoris aut Curatoris auctoritate; item Procuratores, nisi speciale mandatum habeant; pariter furiosi et prodigi, atque etiam Praelati, aut alii Beneficiati quum rerum Ecclesiae non sint domini, sed eas tantum administrant. Praeterea in iis solum causis, quae privati arbitrii sunt, non generatim in causis omnibus arbitros assumere licet. Quamobrem nullum est compromissum in causis restitutionis in integrum; « nam delegati a Judicibus Ordinariis, qui non administrationem, sed

simplicem jurisdictionem seu facultatem judicandi tantum habent, sicut et Arbitri de causa restitutionis cognoscere non possunt, nisi coram eis incidenter mota fuerit, » ut habetur in cap. 9 de Restitut. in integr. Pariter ex eodem cap. « in matrimoniali quoque, vel liberali (id est in qua de libertate hominis agitur), vel criminali causa arbiter assumi non potest, cum tales causae majores Judices exigant. » Verum causae Sponsalium de futuro Judices Arbitros recipiunt, quia mutuo consensu dissolvi queunt, cap. 2 de Sponsal. Neque compromissum valet in causa beneficii, ne sine institutione Canonica Beneficia Ecclesiastica obtineantur, aut retineantur; nec arbitrium admittunt res judicatae; interest enim Reipublicae, ne lites jam definitae iterum excitentur. Denique non valet compromissum in causis, ubi de jure alieno agatur, veluti in causis exemptionum, in quibus jus Pontificis eximentis per Arbitrorum sententiam laedi potest. Possunt autem in arbitros eligi, qui jure non prohibentur, nec refert sit ne pater an filius familias, laicus an Clericus, privatus homo an Magistratus; itemque tum unus, tum plures constitui possunt. Jure autem Civili prohibentur servus, minor viginti annis, surdus, mutus, furiosus, et mentecaptus, et mulieres, nisi, ut ait Innocentius III cap. 4 de Arbitr., jure vel consuetudine ordinariam jurisdictionem habeant, Judex ordinarius ejusdem causae, et quilibet in causa propria. Jure autem Canonico Arbiter esse potest etiam Ordinarius Judex causae, et generatim omnes qui Judices dari possint, et tantum prohibentur laici in causis ecclesiasticis et spiritualibus, excommunicati vitandi, et Regulares; non enim Monachus judicii forensis debet esse susceptor, can. 20 et 35 caus. 16 quaest. 1.

Cessat autem officium Arbitrorum pluribus modis: Et 1. quidem per sententiae prolationem: lata enim sententia Arbitri officio suo functi sunt, nec eam amplius mutare possunt. 2. Morte Arbitrorum, etiam unius, nisi cautum sit, ut uno ex arbitris vita functo reliqui procedere possint. 3. Morte

alterutrius compromittentium, siquidem compromissum censetur pactum personale, nisi haeredum mentio facta sit, cap. 10 de Arbitr. 4. Elapso tempore, si dies compromisso adjecta sit. 5. Denique mutuo consensu, aut si lis transactione aliaque ratione sublata sit.

## § 204.

## DE JUDICE CONSERVATORE.

Inter Judices tum a jure datos, tum a partibus electos praestat Judices Conservatores numerare. Nam Ordines Regularium, aliquot Universitates vel Collegia, ac nonnulla Canonicorum Capitula privilegio Apostolico donata sunt Judices suorum privilegiorum Conservatores eligendi. Eos autem ex coetu Judicum Synodaliū eligi jussit Gregorius XV, in sua Constitutione SANCTISSIMUS edita die 20 Sept. 1621, eorumque electionem et nomina intra sex menses Episcopali Curiae significari; quod si Judices Synodales in Dioecesi nulli sint, poterunt in Conservatores eligi qui magis placeant, dummodo dignitate ecclesiastica et qualitatibus fulgeant, quas postulat Bonifacius VIII in cap. STATUTUM de Rescript. in 6. Horum autem Conservatorum, qui extra Synodales Judices assumuntur, jurisdictio et officium precarium ferme est, illico enim cessat ubi primum Judices Synodales electi fuerint, atque ex his Judicibus iterum Conservatores creandi sunt. Innocentius IV in cap. 1 de Offic. et Potest. Judic. in 6 statuit, Conservatorum officium in eo situm esse, quod possint eos quibus dati sunt « defendere a manifestis injuriis et violentiis, nec ad alia quae judicialem indaginem exigunt, suam posse extendere potestatem. » Verum de potestate Judicum Conservatorum redibit sermo in proximo § de Foro competenti. Porro ipsorum jurisdictio finibus cujusque Dioecesis circumscripta est, ut Conservator extra Dioecesim eam, pro qua da-

tus est, aggredi nihil valeat, nec unus idemque possit in duabus Dioecesibus ad ejusmodi munus deputari.

## § 205.

## DE ACTORE.

Tam Actor quam Reus legitimam personam standi in judicio habere debent; secus enim judicium nullum est. At vero generatim omnes legitime stant in judicio qui expresso jure non prohibentur: ipsa quippe aequitas dictat quemvis posse jus suum prosequi actionem proponendo, aut se ipsum defendere propositam actionem repellendo. In primis autem non solum prohibentur furiosi et mentecapti, sed etiam prodigi quibus honorum administratio legitime interdicta est: servi etiam, nisi causa aut statum libertatis, aut publicam utilitatem concernat: pariter pupilli et minores sine auctoritate aut assistentia Tutoris et Curatoris, filiique familias in potestate patris existentes. Verum de his consule Jus civile. Jure autem Canonico arcentur ab agendo excommunicati, praeterquam in causa excommunicationis suae et appellationis in eadem. Et quidem in aliis causis excommunicati non tolerati ab ipso Judice repellendi sunt; tolerati autem ope saltem exceptionis removentur. Minores decimum quartum aetatis annum egressi in causis ecclesiasticis, ex. gr. beneficialibus, matrimonialibus, admittuntur. Religiosus etiam in causis propriis, veluti super juribus beneficii ecclesiastici quod obtinet, nec non etiam contra Praelatum, ex. gr. ne ejiciatur, ne alimentis privetur, agere potest. Praelati item recte actionem movent sine consensu Capituli, nisi tamen causa ad Capituli administrationem simul spectaret, aut nisi valde ardua esset, aut jus singulare non obstaret; quamobrem circa Praelatos Regulares propria Ordinum statuta observanda sunt.